

Dissertatio de variolis Iglaviensibus anni 1766 / [Johann Baptist Michael Sagar].

Contributors

Sagar, Johann Baptist Michael, Edler von, 1732?-1813?

Publication/Creation

Lipsiae : J.P. Kraus, 1773.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/rjuuj9br>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

J. B. MICHAELIS SAGAR

CIRCHLI IGLAVIENSIS IN MORAVIA


PHYSICI REGII

DISSERTATIO

DE

VARIOLIS IGLAVIENSIBUS

ANNI 1766.



LIPSIAE,
IMPENSIS JO. PAUL. KRAUS,
BIBLIOPOL. VINDEBONENSIS.

1 7 7 3.

*M*ibi vero invenire aliquid eorum, quæ
nondum inventa sunt, quod ipsum no-
tum, quam occultum esse præstat, scientiæ
votum ac opus esse videtur: & semiperfecta
ad finem perducere, absolvere similiter. At
vero verborum inhonestorum arte, ad ea,
quæ ab aliis inventa sunt, confundenda
promptum esse, nihil corrigendo: eorum vi-
ro, qui aliquid sciunt, inventa apud igna-
ros calumniando, non sane scientiæ votum
aut opus esse videtur, sed proditio magis
naturæ suæ, aut ignorantia Artis. Hip-
pocrates de Arte Tom. I. p. I. editionis Lin-
demianæ, quam semper citabo.

PRÆFATIO.

Sœpius multum hæsi mecum ipse colluctans : an hoc opusculum suppressere , vel in lucem edere debeam , & ex eo vel maxime , quod tanta scripta de variolis , adeo dissitæ methodi easdem curandi , existent , ut quisquis , qui super variolis recens aliquid edat , antiquus videatur , plenus rebus jam tritis , de suo parum addens.

Præterea si id , quod res est , fateri volo , maxime me singularitas epidemiæ , de qua scribo , absterruit ; timui quippe , ne Viri Celeberrimi prima subsellia occupantes medicum ruralem ex odio in se hæc scripsis-

se putent potius, quam amore
veritatis & studio boni publici.

Verum tamen, amor proxi-
mi, studium boni publici & offi-
cium boni Civis me vicerunt,
opusculumque, quod legis be-
nevole Lector ! mihi extorfe-
runt.

Quantumcunque porro licuit
mitis & honestus erga Autores,
quibus contradicere vox viva
naturæ me coëgit, fui; neque
enim *Hippocraticum* esset, si
acerbe illos refutassem. Nam
moratissimus Senex Tom. I. p.
44. consuluit „Postea animad-
„vertere ipsum oportet, ut ani-
„mum habeat modestum, non
„solum quod ad taciturnitatem
„attinet, sed etiam circa reli-
„quàm

„quam vitam probe compo-
tum.,,

Ratiocinationi parum indulsi,
bene memor, quod nimia Ra-
tiocinatione veritas potius amit-
tatur, quam in aprico ponatur.
Est enim solum, quemadmo-
dum *Hippocrates* Tom. I. p. 60.
pronunciavit „Ratiocinatio me-
„moria quædam, quæ compo-
„nit ea, quæ per sensum sunt
„percepta.,,

Adjeci insuper diligentes no-
tationes tempestatum quotidiana-
nas exemplo Dictatoris nostri
Hippocratis ductus & attentif-
simi *Huxhami*, eoque luben-
tius, quod tali modo longe fe-
licius malignitatis variolarum
causas exposuerim;

De inoculatione, ut verum
fatear, in proposito habui al-
tum fervare silentium; verebar
quippe, ne ora acerba oppu-
gnatorum, sicut inoculatoribus
accidit, experiri debeam; ve-
rum ex altera parte timui, ne
inoculantibus meum silentium
damnosum fiat; pugnassent
enim Zelosi oppugnatores ex
meo silentio contra ipsos: po-
fui igitur ultimo loco & ea,
quæ pro inoculatione hæc epi-
demia exhibuit. Vale
Lector Benevole!

DIS-



DISSERTATIO
DE
VARIOLIS IGLAVIENSIBUS
ANNI 1766.

CAPUT PRIMUM.
NECTIT HISTORIAM EPIDEMIÆ.

Variolæ, quarum historiam condere
adgredior, initio Februarii 1766.
hinc inde tum in urbe, tum in pagis adja-
centibus sese insinuabant sat mites, donec
eundo malignitate crevissent in tantum,
quod ultra 500. proles Spes reipublicæ
Iglaviæ jugulassent, & ad minus 300. in
locis vicinis.

Prægressam rigidissimam brumam mensium Decembris & Januarii excepit temperies lubrica, austrina, humida plerumque pluvia, nebulosa per totum Februarium & Martium continuans in sua mutabilitate immutabilis, donec eandem Aprilis totus ficcissimus & valde calidus à ventis fere in totum liber dispulisset.

Verum enim vero ut complicata symptomata nimiumque diversa recte describere possim, sicque hanc epidemiam variolosam; ordine omnia incipiendo à pustulis variolarum percurram.

Pustularum omne genus, quod me legisse in aliquo auctore adusque recordor, hæc epidemia exhibuit.

Nam erant *confluentes* in aliquibus, in aliis *cohærentes*, vel *discretæ*; alios *crystallinæ* bullatæ, *verrucosæ*, *siliquosæ*, *herpetosæ* externæ cum *internis* variolis affligebant; sanguineas etiam XXIV. die ab eruptione tum primo vocatus in filiola sexenni pannificis *Haranth* vidi.

Quid porro, ut omnia genera definiam, sint *confluentes* variolæ, etiam in vulgus
no-

notum est, eæ nempe dicuntur, quæ in stadio suppurationis per totum corpus unam conficiunt variolam pulvinaris instar. *Cohærentes* per plures pustulas hinc inde in unam confluentes, ut phalanges militis discretæ numerosæ faciunt. Discretas pustulæ distantes toto decursu morbi nobis manifestant: hæc tria genera malignis symptomatis carentia Regularia nominamus, & ita quidem ut periculum ipsarum ex numero pustularum præcipue illarum in facie & oculis metiamur.

In his vero, quarum historiam insequor, variolis promiscua ista erant; nam ex confluentibus non plures mortui, quam ex discretis sunt infantes. In his porro eventum felicem, qualecunque demum genus prædictarum referebant, prædicebat bona respiratio, pulsus fortis, æqualis, pus album bonum in pustulis, humores euchymi infantum, diarrhæa tempore contagii moderata, vel hæmorrhagia, aut vomitus sive dein arte, sive sponte excitatus fuerit bene multus: verum de his inferius adhuc plura.

CrySTALLINÆ seu LYMPHATICÆ bullatæ in hac epidemia nunquam solæ suum subiectum occupabant ; sed infeminatas verrucosis, herpetosis, purulentis seorsim vel omnibus simul vidimus. CrySTALLINAS seu LYMPHATICAS bullatas dictas LYMPHA raro aquea pellucida, sed plerumque semiopaca candida, aut subopaca gilba, vel pulla repleverat penitus, aut quod sæpius contigit, flaccidas vacuas invenimus. Plures confluentes lymphaticæ sibi adjacentes vesicas faciebant magnitudine nucis myristicæ, vel Jovis ; hinc tales bullatas, ni fallor, bene dixi.

Verrucosas figura cuspidata, durities ad attactum ob materiam ateramatofam in illis contentam prodidit, hæc etiam nunquam solæ in eodem subiecto visæ. Quasdam, quas herpetosas, ut similitudo cum herpete miliari me coegit, voco, vidi pustulas alias species comitantes: Herpes *miliaris* adesse dicitur, dum parvæ, rubræ, papulæ milii magnitudine crustaceæ, rotundæ, cutem obsident ægri corymbosæ, quæ dein materie contenta in pus versa flavo-albescebant. Talis formæ dabantur vario-

variolæ in fine Stadii suppurationis pure fat bono plenæ in hac epidemia ; quod vero fuerint veræ variolæ, docet earundem decurfus cum variolis & symptomata communia, quas comitabantur.

Variolas internas os & fauces infantum inspicientes facile deprehendimus : insuper vomitus inanes, convulsiones nimium diu perseverantes & anxietates nobis de variolis epideliū occupantibus conjecturam dabant. Hæc fere semper lethalis species variolarum vix alicui visa fuit sine comitibus externis variolis præsentibus, aut repressis, solent enim plerumque internæ variolæ nasci de externis intro ruentibus ferâ omine, non quod incurabiles penitus pronunciem; sed quod difficillime & rarissime curentur. Ultimo siliquosæ, quæ nullam materiem instar siliquarum vacuarum, sanguineæ, quæ sanguinem continent, dicuntur.

Quemadmodum porro hæ variolæ pustulis ludebant, ita varie deviebant in decursu suorum stadiorum tum tempore tum symptomatis quæ prius per sua stadia quam persequar, libet exagitare honorificam
Practi-

Practico prænotionem, quam adstantes perſæpe ardenter expetunt: utrum nempe natus febriens, ad quem Medicum cie-runt, variolas habiturus fit, vel aliud aliquod exanthema infantibus conveniens? Habui ego occasionem me exercendi in iſta prognofi Practicis laudabiliffima; nam morbilli & variolæ, quin & ſcarlatina aliquo tempore ſimul hic regnarunt.

Morbillos in hac epidemia ex ſequentibus ſignis erupturos in ſtadio contagii in-fallibiliter ſemper prædixi. Accedens nimirum natus plus vel minus febrientem certus alioquin de epidemia corregnante, certus inſuper natus oblatum necdum penſum omnium forſan verticibus incum-bens rubeolæ perſolviſſe, aspicio linguam ejusdem, ſi etenim hanc albam ſubſiccam; reſpirationem calidam, moleſtam, ce-lerem; tuſſiculam ſiccam, inanem; pulſum celeriore, febrilem, duro-pungentem, in inſpiratione deficientem vel plane in-termittentem; oculos conniventes involuntarie lacrymoſos, propenſionem in ſomnum; nares obſtructas, coryzantes, capitis gravedinem, & dolorem inveni,
vera-

veraciter prophetavi rubeolam erupturam, quam prognosin eventus mihi nunquam non confirmavit, & quidem quo majora, graviora nominata symptomata observavi, eo copiosiores & periculosiores morbillos verax ubique divinavi.

Pro variolis contra erupturis incipiente febre conjecturam defumpsi ex vomitu, nausea, convulsionibus, deliriis, subsultibus tendinum, terroribus, dolore spinæ dorsi & lumborum ac defectu eorum, quæ morbillos & scarlatinas præire solebant. Sollicitus præterea indagavi num sub tributo variolarum adhuc sit æger prædictis symptomatibus qui colluctabatur; quum adhuc sub judice lis pendeat de variolarum recurſu verarum: Profecto, etiamſi iſte aliquando obſervatus eſt, acciderit tamen adeo raro, ut exceptionem memoria dignam in lege univerſali necdum facere poſſit. Audivi præterea olim à Præticis, quod odor quidam hircinus ex corpusculo infantis exhalans jam primo ſtadio variolas nos ſubolfacere erupturas doceat, hunc ego naribus vertagi, ut ita me exprimam, inſecutus apud nullum in hocce

hocce stadio olfeci ; nil igitur ex hoc divinationis venari potui.

Ex nullo jam , de quibus disputavi, symptomate bonitatem vel malignitatem variolarum semper verax prædixi ; nihilominus benignas seu potius non lethales mihi spondebat convulsio, vomitus à natura, vel arte excitatus bene multus & levans symptomata, moderata diarrhæa, hæmorrhagia artificialis, aut naturalis, corpusculum euchymum, respiratio libera & vehementia symptomatum, hæc inquam in primo stadio ægrum si affligebant, denotabant variolas non futuras incurabiles. Symptomata contra ab initio levia & mali succi in corpusculo semper anomas, irregulares ac malignas præfagebant variolas, præcipue si nulla evacuatio sponte vel arte facta fuerit.

Scarlatinam tandem, de qua inferius, rubor faucium, oris, cynanche, parotides præibant vel comitabantur & ardor cutis cum rubedine scarlatina.

Præmissa igitur accurata delineatione symptomatum, quæ quamque efflorescentiam

tiam præcurrere observavi, variolas nunc persequar per sua stadia. Tempore contagii febris major vel minor horrore & calore sese excipientibus infantem prehendit; horum jam querulorum alium nausea & vomitus convellebant, alium convulsio, deliria, dolores spinæ dorsi, subfultus, horrores panici torquebant, miasma alteri diarrhæa detrahebat, hæmorrhagia narium alterum debilitabat; per quam, si non nimius latex, si non nimium solutus profluxit, fuit semper salutaris, secus, dum erat nimius hinc fluxus jam tempore contagii animam cum vita evexit. Dabantur præterea infantes, qui omnibus dictis symptomatis molestabantur, dabantur contra ab omnibus liberi febreque exigua ardentes, quod, ut jam superius innui, erat plerumque mali ominis. Urina interim erat semiturbida colore straminis subin & stranguriosa; pulsus febris & viribus proportionalis, ægrotuli vero decumbebant hoc stadium morosi, inquieti plus minus ejulantes ex crudeli dolore. plerumque **insomnes.**

Primo

Primo Stadio II. III. vel IV. raro V. die
successit eruptio variolarum: maculae nem-
pe in facie, pectore, manibus, abdomi-
ne, & dorso, pedibus pullulabant rotun-
dae, variae magnitudinis, coloris rubri,
quod bonum signum, vel pallefcentis,
flavescentis, hi posteriores colores mala
nobis dabant omina. Rubrae porro sta-
dium eruptionis rarissime IV. diebus absol-
verunt, reliquae vero, quo magis à rubris
distabant, eo tardius exstabant altitudine
sibi propria; quandoque in epidelio fau-
cium, & quantum conjectura assequi licuit,
intestinorum, nascebantur papulae prout
in superficie corporis: elevabantur succe-
ssive pustulae umbilicatae, vel cuspidatae,
donec genus suum determinassent, febris
interim eruptione facta mansit in priore
vigore cum exacerbatione omni altero die,
quasi tertiana supervenisset continuæ, ef-
fecissetque tritaeophiam, quæ dein usque
finem desquamationis plerumque dura-
vit. Dolor crudelis mansit, morositas
& vigiliæ, convulsiones autem, si in pri-
mo stadio aderant, ut plerimum cessarunt
hocce, ubi contra contagium non sunt
comitatae, pluries nunc primo supervene-
runt

runt natum contorsuræ ; si etenim brevi sopitæ non fuerint, subito de vita Infantis actum fuit.

Salivatio cum tertio stadio præsto aderat quasi apud omnes variolantes, quamvis rarius cum ipsa eruptione cœperat; hæc subin rivuli instar os & labia erodentem proluit salivam pellucidam, quandoque accidit, quod infans salivam sui commodi ignarus deglutiens anxietates sibi caussaverit, dolores auxerit, seque in periculum vitæ posuerit, qui, si persuaderi non potuit, ut effluxum salivæ extra corpus concedat, convulsus periit, præsertim si insuper variolas internas habuit: facile est infantibus medicinam præscribere, difficile vero ingerere, imo aliqui nullis precibus, nulla fraude eo duci possunt, ut aliquid sibi ingeri sinant.

Alii feliciores minus acrem & minori copia spuebant salivam, rarissime naturali consimilem. Primo sexto die ab eruptione in optimis hujus epidemiæ variolis puris quid apparebat albi, flavescentis dilutioris, aut crassioris, quæ coctio puris omnium pustularum tardius vel citius ab-

soluta fuit sequentium aliqua dierum VI. VII. VIII. IX. XI. XIV. XVII. XX. dum stadium suppurationis illud desquamationis exceperat. Herpetosæ, quod mire-
ris, cum suppuratoriis, quas comitaban-
tur, sua stadia absolvebant.

CrySTALLINÆ & verrucosæ ut omnia stadia longiora habuerunt; ita etiam stadium suppurationis, si tamen suppurationis sine suppuratione dici potest, protraxerant, donec lymphæ vel materies lardacea ex papulis ruptis, arrosis exitum sibi paraf-
set, stadiumque hocce terminasset: Febris, urina, dolor continuarunt sibi similia per istud stadium.

Miselli nati spes reipublicæ ad ultimam jam pugnam pustularum nempe ficcationem crudelis morbi XIV. XVII. XX. XXIV. XXVIII. die, aut intermedio dictarum aliquo provocati pro vita sua dimicare debuerunt, hic per tot pericula Reipublicæ servati dedere cervices plurimi, nam, ut dixi, bene multi jam in stadio eruptionis suffocati sunt.

Nun-

Nunquam sine commiseratione plerumque ad hanc ultimam tragœdiam vocatus primo crudelis tyranni victimas infontes vidi, quæ, si in tempore citus fuisset, eidem eripi potuissent multo plures quam hoc tempore morbo de victoria vitæ jam jam gloriante.

Singularem & novam quantum scio speciem ostocopi doloris in his & aliis variolis observavi, cujus memoriam nullibi legi: dum œdema *variolosum* faciei concidere incipit, dolor omnium artuum, bono omineprehendit infantes sensibilis in penetralibus ossium, qui XII. vel summum XXIV. horis durat; ejulant, tremunt, sibillant, clamant, seseque jactant variolosi morosissimi & inquietissimi, elapsis dictis horis desinit præfatus dolor, erumpit in aspectum œdema artuum & collabitur illud faciei; dum contra dolor ostocopus ultra XXIV. horas cruciat infantem etiam libitinæ eundem transcribit. Ad hunc dolorem optime leniendum tepido lacte foveantur artus, & interne datur infusum florum tiliaë, rhæodos cum lacte, vel uncj Syrupi Diacodi cum unc I. aquæ

florum sambuci , & hæc in transitu dicta sunt.

Tristes , ut ulterius pergam , erant & anhelii infantes quidam pure opprimente pulmones ; pulsus tum aderat inspirationis tempore deficiens , aut penitus intermittens : collapsus variolarum , nigredo , subin & petechiæ atropurpureæ ferali omine cutim hinc inde obsidebant ; alios pure ad caput ruente phrenitis exstinxit ; alios convulsio contorsit ; in quibusdam materies pestilentialis partes oris sibi præeligens fauces , palatum pendulum , fornicatum , nares , maxillas consumpsit , dentes pessumdedit adeo , ut nati deplorandi dentem unum post alium , tum maxillas per partes propriis sibi manibus eximebant , licet debilissimi cunctis stupentibus & dolentibus , qui circumerant ; crudelissima materies aliorum lumina occupavit , eaque inflammans corrumpens in liquamen convertit , & cum iisdem fædo aspectu extra fluebat ; & , quod dolorosissimum ! pene omnibus medicina superat celerior , vel tardior una mors tantorum malorum finis.

Feli-

Feliciores, quorum cutim materies petens tubercula rubra excitavit fabæ magnitudinis circiter, quæ post unam alteramve diem alba facta & rupta materiem acrem ferofam, cutim rodentem pluebant, feliciores hos studiose dixi; nam plerique febre & reliquis symptomatibus post dictam crisin cessantibus servati sunt omnes, ubi priorum rarissimus evasit; licet medicus continuo purgantia, & clysmata adhibuerit, sed de his inferius.

Aliqui, qui lymphaticis & verrucosis multis cum suppuratoriis laborabant variolis suo fato relictæ ignavi & incorii quasi sui jacebant, donec latente ratione adstantes mortui sunt; nulla urebantur febre, nullum tumorem faciei habebant, salivationem etiam in hoc stadio ferme nullam passi sunt.

Siliquosæ nullum singularem exitum habent præter lymphaticas, quum ex illis natæ fuerint, quotiescunque lymphæ relictis papulis alia loca petiverit; hunc decursum servabant variolæ natorum, qui vel suo fato relictæ, vel medicastri commissi fuerunt; ego vero quomodo cum

dictis malis pugnaverim, caput III. docebit.

Hæ variolæ, quarum decursum hic pro possibili descripsi Aprili, Majo, Junio, Julio, mensibus plurimos mactarunt natos prius fat mites, & post Julium penitus benignæ factæ per ficcum & temperatum Autumnum usque dum hyems vehementissima easdem exstinxisset.

CAPUT SECUNDUM.

INQUIRIT CAUSSAS TANTÆ MALIGNITATIS JAM DESCRIPTÆ EPIDEMIÆ.

Naturam contagii in puteo Democriti adhucmersam hic non inquiram, non causam prædisponentem ad contagium variolosum suscipiendum omnibus innatam, non attingam originem primam miasmatis, minus epocham primam variolarum statuminare conabor, hæc omnia felicioribus ingenio relinquo; solam hic causam assignare studebo tantæ malignitatis

tis hujus epidemiæ variolosæ, quam vero ut saltem probabilem reddere possim, primum constitutionem cœli prægressam & concomitantem, quæ plurimum ad rem facit, delineare adlaborabo.

Volui ego jam per innumera tormenta examinare pus variolosum, scrophulosum, syphiliticum, scabiosum, rachiticum, rheumaticum, traumaticum, vomicosum &c. & adhuc ingentem appetitum habeo ad hunc sordidum, & squalidum laborem; hunc etenim, prout ego spero maximam lucem praxi medicæ affusurum auguror, fors patefiet natura contagiorum diversorum, & rationales therapieæ invenientur phthisium; sufficiat extra semitam hæc meminisse.

Postquam igitur, ut incipiam, ubi desii libello de morbo singulari *ovium* p. 12. Aprilis 1765. sat calidus tonitruis, fulguribus & imbribus profusis clarus præterivisset, ac Majus pluvius Austro plurimum adflante tum Junius cum Julio prioribus per omnia æquales, æstatem nostram primo accepimus VII. Augusti, quam IX. Septembris iterum nobis eripuit, brevis

isthæc æstas nos diu noctuque calida calefecit, tonitruis cum fulgoribus subin observatis terrefecit; à V. dein iduum Septembris dies autumnales subpluvios, subfrigidos, canos quandoque ex pruinis matutinis, nebulosos, nubilos, tristes jam Austro, jam Africo, jam Boreâ tenente sceptrâ Boili viximus, donec ipsis nonis Decembris Aquilo expressis exiguis nivibus nostra compita dealbasset, frigus caussasset idque instabile; nam mox Boreas & post hunc Auster suppresso Aquilone priores nobis luserunt dies tristes.

Cslendæ demum XIII. Decembris copiosas nives dederunt ut & sequentes, frigus successive intendebatur, quod deinde à sudis noctibus in siccum & rigidissimum adauctum XV. Januarii primo remittebat, qua & sequentibus Auster assiduo spirans ad ipsas Februarii nonas nives emollivit, consumpsit, frigus dispulit; atque his nonis nempe variolæ mihi primum observatæ tum in urbe tum ruri sat mites & regulares.

Reliquos porro dies Februarii & Martii ex litibus Austri & Boreæ variabiles, subplu-

pluvios, subnivosos & subfrigidos habuimus, ita tamen, ut Aries austrinas & temperatiores fecerit nobis pluvias.

Aprilis ficcissimus valde calidus, æstivus totus quasi sine ventis cum tribus primis diebus Maji plurima funera infantum duxit; abhinc prima fuit absque omni pluvia XVIII. Augusti, intermediæ pluviae, nebulosæ, horridæ jam Borea, jam Austro regnante pruinosæ, subserenæ; fulmina quasi omni die in Majo à prandiis cum tonitruis & fulguribus audivimus; in festis sancti Ioannis Baptistæ, Iacobi, & S. Annæ igne excitato in fornacibus cubilia nobis temperare debuimus.

Ultimos Augusti & Septembris potissimos jam serenos gratos, jam calidos, jam horridos, canos ex pruinis & ventis septentrionalibus perflatos numeravimus dies cum noctibus. Autumnus postquam sol attigisset libram temperatus, ficcus, gratus, imo multo gratior æstate nos calefecit & recreavit, qui calidas etiam dederat noctes hortulanis utiles, variolas effecerat denuo mites, regulares, benignas, plurimum discretas, quas demum

hyems rigidissima, ut superius retuli, fugavit penitus. Barometrum, quod hic adnotasse juvat, cujus altitudinem cum temperie Cœli sollicitus notavi, per totam æstatem quasi splendida mendacia divinabat; immo fere contrarium suspicari licuit plerumque illi, quod monstrabat.

Quæ cum ita sint, facilis quisque intelliget, quare variolæ, de quibus sermo est, adeo irregulares fuerint, cur plerumque in papulis lymphæ pellucida, subpellucida, opaca, crystallina, subin flavescentes, subin acris viscebatur.

Constitutiones nimirum tam humidæ, nebulosæ, austrinæ & boreales transpirabile retinendo intra corpuscula solida laxando, humores solvendo hæc fecerunt. Quæ si quis mihi non credit, adeat mecum attentissimum *Huxhamum*, qui hæc jam pridem evicit p. 137. T. II. "Talis inquit atmosphæræ constitutio, „quæ ægrotos ad nimiam salivationem „proclives reddit, probabile quoque ali- „qua ex parte crudas illas crystallinas & „indigestas variolas excitare poterit, quæ „sæpissime nobis occurrunt. Humida „enim,

„enim, nebulosa frigidaque tempestas
 „non solum vim vasorum contrahentem
 „relaxat, & sanguinem vaporibus frigidis
 „nitrosis replet; sed præterea etiam per-
 „spirationem insigniter impedit; unde
 „acris serosa colluvies accumulatur, &
 „tali præcipue tempestate fieri solet, ut
 „hæc variolarum dominetur species.

Quid clarius exprimi potest, quam per
 datam delineationem tempestatum causa
 variolarum, quarum historiam exaro, ex-
 pressa est; humida enim fuit valde con-
 stitutio, nebulosa jam aquilonia, jam austri-
 na; hinc crystallinæ & flaccidæ filiquosæ
 originem ducebant, hæc causa fuit, quod
 ipsæ purulentæ dilutius pus coxerint. Non
 parum etiam dictis papulis mos huic genti
 valde nocivus erigendi fornaces faverit:
Fornaces hic plerumque ingentes in cubi-
 libus ponunt, illisque vesicam cupream
 loco unius vel plurium cacaborum ex uno
 latere inædificant, ita, ut una media ve-
 sicæ intra fornacem; altera vero extra
 fornacem promineat, posterioris partis os
 operculum versatile habet ad claudendam
 vesicam, dum aquæ in eadem calefiunt,
 &

& aperiendam dum undas bullientes eximere libet, hujus vesicæ lumen ab operculo rarius adæquate clauditur, sæpius ex negligentia apertum ahenum vapore aquæ bullientis totum replet cubile; hinc homines habitantes in tali cubili sunt in vaporis balneo, quod laxando illorum solida, & nimium diluendo fluida ipsos ad varias ægritudines disponit, quæ à laxis solidis & nimium solutis liquidis originem ducunt.

Non tamen omnes istas fornaces damnabiles habent, soli quasi pauperes delectantur isthoc damno; præcipue autem ad febres putridas, maximeque miliares disponunt delineatæ fornaces, quemadmodum sæpius jam experientia convictus sum.

Verrucosas paucissimas aliis immistas Aprilis nimium ficcus & calidus effecerit, prout illarum epocha contendit; nam ad finem Aprilis, & per totum ferme Majum observatæ sunt; non nego, quod humorum in eodem corpore varia densitas, & idiosyncrasia propria cuique aliquid ad has contulerit, quam opinionem interim
meam

meam *Huxhamus* confirmat p. 137. sequentibus: prouti parva illa, verrucosa, nigra (in mea epidemia erant plerumque cuti concolores) species cum parca vel nulla salivatione ventis aquilonibus per longum temporis spatium flantibus, valde calida vel valde frigida siccaque tempestate admodum frequenter observatur. — Verrucosæ porro non erant sine materie ut D. *Mead* vult p. 18. de variolis, sed continebant materiem cuti naturali concolorem spissam lardaceam pustulas in cuspides extendentem, quæ digito prementi resistebant; hæc ipse D. *Mead* p. 37. quasi oblitus dictorum agnovisse videtur, dum scripsit: "CrySTALLINIS magis periculosæ sunt verrucosæ variolæ; quod neque suppurare potest, neque per urinam exire, crassa nimis morbi materia." Unde fors factum, quod in hac epidemia verrucosæ non superabant malignitate crySTALLINAS.

Siliquosæ vel inanes à materie per salivationem rivi instar profluente, variolas evacuante natæ fuerint, vel materie alias regiones corporis præeligente, quod expe-

perientia mea in hac epidemia & Cl. *Hux-*
bami p. 137. tomo altero confirmavit :
 „cujus tenuis crudæque materiæ magna
 „pars sæpius iterum absorpta ad sangui-
 „nem perfertur, & insignem pustularum
 „flaccidarum, vacuarum, vel *filiquosarum*,
 „ut dicitur, relinquit copiam.” Daban-
 tur etiam variolæ, quas jurasses plenas
 esse optimo pure; ubi tamen ad nitorem
 fervandum faciei forficibus incidebantur,
 inanes esse mirabamur; erroris nostri causa
 crassities cuticulæ erat, quæ quandoque
 illi corneæ comparari poterat, rationem
 porro phænomeni mox in rivo salivæ vi-
 dimus: ad *filiquosas* adhuc addi possunt,
 quæ visæ sunt semi-inanes.

Herpetosas quas dixi vel debilitas natu-
 ræ eas elevandi, vel materiæ ad ductus
 salivales præmaturus confluxus, aut cutis
 rigiditas, aut parsimonia materiæ in papu-
 las protrudendæ causavit: mirum in his
 erat; quod cum suppuratoriis regularibus
 utcunque sua stadia currebant. De causa
 sanguinearum nil habeo, quod dicam,
 quum illæ, quas vidi in filiola *Harantb*
 25. die ab-eruptione ex universali humo-
 rum putredine originem sumpserint.

Ad

Ad finem Augusti & sequente Septem-
bri 1766. *Scarlatina* fat maligna observata
est cum tumoribus parotidum & glandula-
rum submaxillarium, quibuscum scarlatina
natos adgrediebatur: hæc scarlatina circiter
20. infantes, quantum rescivi, suffocavit,
plerosque inter 24. horas letho dedit. Ter-
rorem incussit hic morbus ab ignaris pro
peste habitus; dein ego vocatus non tan-
tum pestem non esse hancce scarlatinam do-
cui, sed etiam methodum eidem medendi
felicem adhibui, præstitui: en eandem!
Præmissa venæ sectione etiam repetita, si
symptomata urgebant, clysmatibus lenibus
alvum proritavi ad duas vel tres excretio-
nes nythemeris spatium; emplastrum de Me-
liloto glandulis tumidis apposui; mixturam
antiphlogisticam cum potu sumenda ordina-
vi & gargarizationes assiduas cum lacte te-
pido, cui ficus incoctæ erant, commen-
davi; atque omnes ita servati sunt, quos
accessi, præter unum infantem ad quem
animam jam exhalantem ciebar.

Contta dolores rheumatismi vulgo chro-
nici seu non *acuti* eudemii hic morbi serum
lactis nasturcinum cum docto lignorum
magna

magna copia & diu potatum, fapo venetu, faccharum lactis, gummi quajacum interna optima pharmaca deprehendi; emplastrum diaphoreticum cum notabili admiftione camphoræ loco dolenti adponitur, fubin locus dolens fetaceo utiliter fricatur, ut & fcintillæ electricæ eliciuntur, omni octavo mane datur fefqui uncia falis carolini fcopo purgante & plethoricis vena tunfa aliquoties fanguis emitti debet.

Septem jam phthificos fequenti methodo fervavi & ferme in totum reftitui: bis de die in cibum ipsis cefferant IV. recentia ova aceto vini acerrimo incocta; quater de die duas partes panis biscocti, quibus mel cum anatica parte butyri recentis miftum illinebatur abundanter, fumebant, & vix ulla alia re ufi convaluerunt, & adhuc fine omni tuffi 4. illorum valent bene: R. P. Schön Capellanus Teutobrodæ, R. P. Emericus Dominicanus Iglaviæ, R. P. Joannes Roibar Iglaviæ, Tazel famulus Zaræ. Phthifim rheumaticam aliquoties jam curavi, fubinde & fcrophulofam, fed de his olim in fyftemate fympomatico pluribus agendi erit occasio.

Febres

Febres intermittentes non semper ut in libello meo de *Aphthis pecorinis* memini, cortici peruviano obediunt: & an optime contra has datur, non disputo, id unum cadavera monstrant ex his denatorum, quod *infarctus* & phlogosés viscera interna possideant, vide *Lieutaud* p. 44. Tom. I. Hinc ego sequentem pulverem contra quamlibet feliciter adhibeo;

℞. Pulveris radice Bryoniæ falis tamarisci, florum falis ammoniaci [♂]alium ana scrupulum unum, sulphuris antimonii deaurati grana III. IV. vel V. misce fiat Pulvis, Dentur Doses quatuordecim, sumat omni mane I. ex aqua fontana; subin addo grana X. aluminis, agarici, aut florum sulphuris. Ipsam quotidianam *caroticam* in Domicella Antonia L. B. de Verner tenella filiola curavi mixtura, quam scribo: ℞. V. cinamom. cyd. unc. jī V. absynth. uncs. Tinctur. Rhei [♀]osæ unc. j Syrup. granorum Kermes unc j Liquor. anodin. mineral. gr. XXIV. ⊖ tamarisci, ♂^{is} radice bryoniæ, florum ⊖ xci ♂^{alium} á gr. XXXIV. ♂^{is} ♀ jī ⊙^{ti} gr. x. M. sumat 4^{ter} de die cochleare I.

C

Hy-

Hydropicis excipio hydrothoracem, si vires habent primum propino emeticum, dein pharmacon compositum ex V. benedicta Rulandi, extracto bryoniæ, scillæ, succo iridis florentinæ, roob de spina cervina & terra foliata tartari, sumendum jubeo longo tempore, potum ordinarium dat vinum hydropicum Dris *Allen* aqua mistum, vel decoctum aperitivum majus cum baccis Juniperi, iride florentina, hacque methodo sæpius jam victor evasi hujus feralis morbi, nec meliorem methodum adusque novi.

Barbara *Freyin* habuit tumorem libonem panis unius spithaneæ referentem sub costis spuris dextris durum ligni instar, frigidum, cuti concolorem, apposuimus herbam folius cicutæ störkianæ in lacte coctam, per modum cataplasmatidis per dies 14. & interne gr. XXX. extracti ejusdem herbæ bis sumpsit de die, emollitus est & suppuratus tumor, pus bonum dedit, & penitus liberata est hoc malo mulier; sæpius adplicui cicutam externe & interne, & raro sine effectū: vidit una mecum *Barbaram Freyin* expertissimus Dominus Medicus *Reichart* & mirabatur effectum.

CA-

CAPUT TERTIUM.

DISCUTIT METHODUM MEDENDI VARIOLIS DESCRIPTIS CONVENIENTEM.

Homines porrexere infantibus suis variolosis pulverem pannonicum, vitæ aureum, marchionis, antispasmodicum, fenneri, lapidem bezoardicum, vel de Goa in pollinem tritum, theriacam andromachi, mithridatium, aquam ceraforum, aquam vulgo perlarum, aut margaritarum, seu potius pulverem dictarum in aqua; alii plus sapere volentes vinum piperatum propinarunt, cerevisiam integram pro potu ordinario dederunt; alii contra respuentes omnia medicamenta cubilia calefecerunt strenue, & pennis ad suffocationem usque involverunt natos.

Multæ porro proles, ne nimiam culpam ignorantiae mederi volentium tribuam mortuæ sunt penitus neglectæ, & ut ita dicam fatis à genitoribus amore in liberos frigidis relictæ, concessæ. Sæpius recordor non sine horrore illorum, quæ mihi ob-

venerunt apud cujusdam civis Iglaviensis proles variolis laborantes : adveniens ad huncce ex examine prolium corporis & parentum deprehendi stigmata variolarum esse in nifu eruptionis, videns insimul infantes esse torosos, sanguineos, febrim validam & delirium potens, jussi, ut hirundines ad tibias illico apponantur, vel vena secetur in pede, si apta deprehendi poterit ; præscripsi quoque mixturam antiphlogisticam diaphoreticam ; in potum cererem tenuem, balnea pedum ordinavi adjiciens, quod à prandiis rediturus, si delirium cessaverit, emeticum sim daturus infantibus suis.

Tum parens ad me, putasne Domine Medice, quod servari possint meæ proles? & quid vita illarum circiter constaret? Huic ego: vita certo tuarum prolium servabitur incolumis, si ea præstiteris, quæ mandabo ; nec magnæ erunt tibi expensæ faciundæ : nam duo vel tres floreni sufficient. Hic mihi facie morosa reposuit, Domine non expendam, potius his nummis sepultura meorum natorum solvatur, nil applicabimus ; tantum te vocavimus,

ut

ut morbum determines , non ut pellas :
nonne talibus genitoribus merito canam
illud Ovidii L. I. trist. V. 41.

Et tua sunt filicis circum præcordia venæ;
& rigidum ferri semina pectus habent.

Quæque tibi quondam tenero ducenda
palato

Plena dedit nutrix ubera , tigris erat.

Indicatio fuit in primo stadio harum variolarum primas vias fordibus ac saburra liberare præcipue per vomitoria, dum natura medicatrix sponte istud non sufficienter promovebat , & quantitatem miasmatis minuere ; naturales enim variolas miasma variolosum per aëra volitans ventriculo primæque culinæ inoculat, quemadmodum morbillos facco lachrymali & bronchiis ; alvus insuper lubrica servari debet, & nimius sanguis hæmorrhagiis artificialibus minui ; inflammationem nimiam impediveram hisce & pediluviiis, sero lactis, lacte , vel infuso florum tiliæ cum lacte datis, ac mixtura ex aqua sambuci, rubidæi, pulvere antispasmodico, stibio diaphoretico & syrupo florum tunicæ, rubidæi.

Secundum Stadium continuationem mixturæ nuperrime scriptæ poscebat, alvum lubricam, pediluvia, & largam potationem lactis puri, vel misti cum infuso florum tiliaë, decocto foresti, unica semis syrapi diacodi, aut unc. III. vel IV. emulsionis feminum papaveris ad quietum somnum conciliandum quandoque necessaria erant.

Incipiente Stadio *suppurationis* & durante infanti porrexī ad manus pennam, ut faciem, manusque prurientes perpetuo parte ejusdem plumosa sibi fricare possit, & sic temperabatur pruritus, & materies variolosa alliciebatur ad superficiem, & pharmaca stadii eruptionis continuare jussēram cum lactis potu: Lubenter nati potabant lac cum modico caffèemistum, quod Cl. *Huxhamum* secutus facilis & cum utilitate iisdem concedebam.

Observata *siccatione* variolarum continuo dedi purgans ex aqua florum acaciæ & syrupo mannato, hocque omni altero, vel tertio mane sumendum erat infantibus, & medicinas prædictorum stadiorum interim continuare debebant pro indicatione;

ne; faciem ad nitorem conservandum per-
sæpe spongia humectari jusseram intincta
tepido decocto hordei vel avenæ cum
anatica parte lactis misto; oculorum vero
immunitas præservabatur sequenti.

R. Emulsionis femin. sumach. uncis.
camphoræ gummi tragacanthi subactæ gr.
iv. intere croci gr. v. misce: omni bih-
vel trihorio penna v. g. perdricis humecta
hacce emulsione palpebræ illinantur, quod
in stadio eruptionis erat necessarium,
in ficcationis vero stadio oculorum aper-
tio promovetur decocto eodem, quo for-
ma faciei conservatur.

Palmaria igitur remedia harum crude-
lium variolarum deprehendi lac, flores ti-
liæ, Antiphlogistica, decoctum foresti,
mannam, emulsiones papaveris, emesin;
hæmorrhagias spontaneas vel artificiales,
lubricationem alvi; pediluvia; lac con-
servabat formam faciei dilutum decocto
avenæ; syrupus diacodii dolores crudeles
mitigabat, utilem somnum invitabat;
opium contra noxium convictus experi-
mentis toties declaro; pulsum persæpe
debilem elevabant infusum coffeæ lacti ad-

ditum, confectio alkermes, aqua cordialis frlgida, mithridatium; subin in auxilium vocabatur camphora, extractum corticis peruviani, cascarillæ in lacte, flores sambuci.

Contra febrem secundariam ex pure variolarum Amphimerinam variolosam kinkina male ordinatur; optime vero purgantibus post Cl. *Freind* obedit; suffocationem ex ptyalismo clysmata avertunt & gargarismi ex melle cum aceto scyllæ; delirium dispellunt epispastica pedibus adposita; raro semiveficientia crudelem medicinam in usum traxi; leve vomitorium suffocationem incautamenti more quandoque tempestive datum dispulit, quod & anginam serosam feliciter sanat; venam unicæ proli in tertio stadio ob phrenitidem ingruentem tundi jussi, ast, quod candide fateor, cum sinistro eventu; nec amplius tentabo, sed purgantibus insistam & clysmatibus.

CAPUT QUARTUM.

EXCUTIT QUÆSITA QUÆDAM
SUPER VARIOLIS.

*I. An hæmorrhagia spontanea vel artificia-
lis semper conducit variolosis ?*

Dantur Medici, qui per omnia laudant hæmorrhagias quolibet stadio ipfas repetentes, si graviora aliqua symptomata, quæ hæmorrhagias exigere videntur, accidunt, hique desquamatione facta sanguine vena dempto curam claudunt, consumant. Alii oppositam his penitus ineunt viam & horrent instar sacrilegii tenerum profundere laticem vitalem è corpusculis parvulorum tempore contagii; reliquis vero stadiis nec nominari profusionem sanguinis ceu toxicum sibi finunt. Utraque horum pars aberrat à felici & rationali methodo, ut *Attentissimus Huxhamus* p. 121. Tom. II. jam scripserat;
„ nullo vero modo sanguinis emissionis
„ usum promiscuum, adeo frequenter in
„ omni variolarum impetu adhibitum com-

„probare possum.„ In hac epidemia torosis, natu majoribus, euchymis, valida febre agitatis, delirantibus hæmorrhagia, licet unius fuerint anni, necessaria erat in contagio, quæ aliquando etiam repetebatur; cachecticis contra, debilibus, exigue febrientibus emissio sanguinis mortem certam, si major fuit, procuravit; quemadmodum hæmorrhagiæ spontaneæ in pluribus similibus natis docuerunt; si vero talibus parum laticis effluxit, languentes vix febrim amplius recipientes, variolis lymphaticis & aliis interspersis vitam dederunt.

Mirum illud sæpius in mea praxi observavi post chirurgos promiscue venas tundentes citus, quod subin sanguine dempto usque cessationem febris & doloris v. g. lateris, eadem nullis cardiacis ne vino fortissimo hungaro revocari potuerit; semper igitur febris in moderato vigore servanda, quod moderamen iudicium practicum determinat. Pulchre huc immortalis Nosologus *Sauvages* Tom. I. p. 386. „vivunt autem & convalescunt è pleuriti-
„de, rheumatismo, plurimi, quorum
„san-

„fanguis in vasis superstes est ad coagula-
 „tionem densissimam dispositus, & è qui-
 „bus hunc pravum cruorem qui vellet
 „exaurire, ægrum jugularet., In quam
 rem optime Cl. D. *Huxhamus* p. 122. To-
 mo sæpius citato scribit: “itaque ex his
 „videre est, quam perversa sit generalis
 „ista opinio tam de calido quam de frigi-
 „do regimine in omnibus omnium vario-
 „larum speciebus adhibendo. — Inter-
 „dum *Sydenhami*, interdum *Mortoni* con-
 „venire potest methodus. — Breviter
 „quilibet casus singularis singularem re-
 „quirit methodum, atque Medici attenti
 „est, ut ejus judicium justa harum rerum
 „dispositione declaret., In quolibet dein
 subsequo stadio, si materies ruat ad ca-
 put, pectus, collum, vel abdominalia
 viscera, poterit vena aperiri. An vero
 multum proficiet? ego saltem, ut casus
 superius relatus loquitur, nihil emolu-
 menti inde observavi, immo potius no-
 cuit. Contra hypopyon ex pure variolo-
 so regresso natum in tertio stadio venam
 tundi absque fructu olim vidi,

Fini-

Finiente vel finito desquamationis stadio suadent quidam ad reliquias morbi exturbandas phlebotomiam, quandoque & repetitam ; quemadmodum & Illustris *Mead* p. 43. consulit : "supereſt, ut dicam, nullam febrem magis requirere ut morbi reliquiæ è corpore exterminentur. Sanguis igitur, ſi vires adhuc conſtant, convaleſcente jam ægro, detrahendus eſt ;" quam rem nihilominus p. 47. in exemplo aliter proponere videtur. "Hinc reſecto robore, febris jam hæcticæ ſpeciem induiſſe videbatur; quo circa, detracto ad uncias V. ſanguine, — — Hac via temporis progreſſu, miſſo bis terve ad uncias V. ſanguine, — — laxatoque ſubinde rhabarbaro ventre, — — integra rediit ſanitas." His non obſtantibus cum debito reſpectu optimi Autoris hujus & aliorum edicam id, quod in hac epidemia obſervavi : nulli ego ad reliquias morbi educendas venam aperui ſive ab initio uſque finem adſtiti varioloſo, ſive tardius in curam eundem aſſumpſi ; nihilque hinc mali meis accidit ægrotis ; neque illis, qui neglecti, aut præpoſtere tractati, dum mihi adferebantur ob varia mala,

mala, quæ resistantes reliquiæ morbi causabant, unquam profundi sanguinem : verum solis laxantibus sæpius repetitis materiem evexi, mala curavi feliciter.

Si porro effectus venæ sectionis considerare volumus, non videtur esse necessaria in hoc stadio ; nam phlebotomia non est depurans sanguinis, cruditates è primis viis non expellit, quin potius adtrahit in massam sanguinis ; quia vasa lactea juxta leges hydraulicas, dum alveus per hæmorrhagiam depletus est, potentius fugunt. Celeberrimus insuper *Boerhave* & *Huxhamus* de ista venæ sectione altum tenent silentium : videtur igitur inconveniens & inutilis. Aliud est, dum variolæ in febrim hæcticam desinunt, profecto in tali casu videtur esse perutilis phlebotomia : vide *D. Mead* p. 47. Aliquoties ego contra hæcticam febrem etiam novies ex aperta vena modicum sanguinis extraxi semper crusta inflammatoria tecti, hinc firmiter credidi ultimam guttam esse talem ; quia signa in lingua crustam sanguinis divinantia semper in eodem statu permanferant, idem sæpius in rheumatismo me fecisse recordor.

Lin-

Lingua alba, subficca, tumidula, calens papillis exstantibus crustam insulam sanguinis tecturam fideliter mihi semper prædixit.

II. *An vomitus gratis fatigat variolantes? Num convulsio in contagio semper bonas variolas promittit?*

Hanc positionem velle stabilire quoad meam epidemiam videtur esse prorsus inane; quum observationes constantes pro vomitu ciendo in primo stadio variolarum harum unanimiter clamaverint, & *Hippocrates* dicat:

”Materies ducenda quo maxime natura
 „vergit per loca convenientia.” *Magnus Huxhamus* p. 134. Tomo sæpius citato insuper hæc uberrimè demonstrat: ”Singula-
 „re quoddam est remedium, quod eru-
 „ptionem variolarum in hoc lento & lan-
 „guescente casu promovet, quando pu-
 „stulæ ratione haud ordinaria ad consue-
 „tum tempus erumpunt, sed cum vel
 „nulla elevatione & calore minore in
 „cute quasi sepultæ hærent, & hoc leni
 „emetico excitatus vomitus, — quem fere
 sem-

„semper hoc in morbo sponte molitur natura, atque nos sequi debere ejus indicationem existimo; hoc enim non materię morbi pars solum, quę ventriculū afficit, sed quoque illa colluvies lenta, putrida, quę in eo, hepate, fellea vesica, cæterisque fuit collecta, ejicitur.” — Quam sententiam senex *Hippocrates* libro I. de diætā confirmasse videtur, dum dixit: „humidis confert, & vomitibus uti, quo corpus depuretur.” Nulla vero ætas infantia majorem proportionem liquidorum ad solida habet.

D. *Mead* p. 44. inquit. „Febre incipiente missus erat è brachio sanguis, & concitatae vomitiones.” Sydenhamus optimus variolarum *Delineator* p. 422. scribit: „& post aliquot horas emeticum eradicativum ex infusione croci metallorum exhibere, quod non solum materiam, à qua oritur ægritudo ista insolentior, foras propellit, sed etiam ægrum ita refo-cillat, ut jam quasi sanus lecto abesse queat.” Sane non sine maxima laude emeticorum recordor sæpius in secundo stadio variolas retrocedentes emetico dato

to illico ad cutim redire me jussisse ægrum-
que in vado posuisse : consule *Syndenham.*
p. 178. quin, ubi variolas internas adef-
se conjecturavi, nullo pharmaco ipsis me-
deri potui, minus eas expellere ad cutim,
nisi *emetico* tempestive dato.

Ad hæc in vulgus notum est, quod con-
vulsiones primum stadium variolarum vel
secundum comitantes plerumque bonas
easque dissitas præeant, prædicant variolas.

Sed quid quæso aliud est vomitus nisi
convulsio diaphragmatis, musculorum ab-
dominalium, ventriculi & æsophagi? Hoc
quantum scio, nemo nostro hoc illuminato
sæculo negabit, ne ipsi vilipensores eme-
tici; nonne igitur easdem nempe benignas
etiam post vomitum præstolari variolas
oportet? quousque Naturæ vestigia no-
stræ optimæ Magistræ sectari vomitum in
hoc morbo plerumque cientis detrectabi-
mus?

Nonne hicce locus conveniens? Profe-
cto tot bonis eventibus in hac epidemia
ad sui imitationem Natura me traxit, ut
nullibi magis.

Sin-

Singulare porro D. *Mead* operum suorum p. 63. in transactionibus Anglicanis se demonstrasse ait : nimirum contagium variolosum non per sanguinem , sed per liquorem , qui in nervis est , spargi , & in nervos præcipue initio agere , iisdem sese insinuare miasma ibidem demonstraverit. In variolis vero naturalibus in nervos ventriculi , quemadmodum symptomata prima loquuntur , agit , nauseas. vomitus , anxietates & reliqua producit ; hicce vero est casus quasi unicus , in quo impugnatores emetici in principio acutorum emeticum dant , quando nimirum anxietas , vomitus , prostratio virium ea materie nervos ventriculi irritante absque omni inflammatione topica producuntur.

Turget in principio acutorum materies in ventriculo tunc , quando anxietas absque peripneumonia , pleuritide &c. circa præcordia , jactatio , virium magna prostratio , non ab evacuatione , morbi longitudine , aut plethora , sed tantum ex materie in ventriculo hærente observatur , & tunc audacter dandum emeticum : ita doctus sum in Celeberrimo Lyæo Vindobonensi.

D

In

In quam rem apprime Illustrissimus L. B. van *Swieten* Tomo II. p. 271. scripsit :
 „ An ad modo recensitas debilitatis caus-
 „ fas referri possunt quædam alia satis mira
 „ in morbis observata ? hæret aliquando
 „ in morbis aliquid circa præcordia, quod
 „ venenata quasi vi omnes vires uno mo-
 „ mento prosternit ; & quamdiu ibi hæret,
 „ summam debilitatem facit, quamvis nul-
 „ la jactura liquidorum prægressa fuerit,
 „ neque observabilis ulla mutatio in liqui-
 „ dis solidisque partibus corporis reliquis
 „ inveniatur, cui subito nata debilitas at-
 „ tribui posset. A bile circa præcordia
 „ hærente non tantum convulsiones, sed
 „ syncopen ortam fuisse observavit *Gale-*
 „ *nus*, excussa hac saburra per vomitum,
 „ illico cessabant omnia hæc mala. In fe-
 „ bribus continuis, quæ epidemice grassa-
 „ bantur, mirabatur *Sydenhamus* præter
 „ alia mala symptomata adesse ingentem
 „ ac subitaneam virium prostrationem ;
 „ emetico vero dato, omnia sæva illa sym-
 „ ptomata, quæ & ægros excruciabant,
 „ & adstantes perterrefaciebant, illico mi-
 „ tigabantur. „

Ego, ut illud τὸ ὀπῆν nimium forsan suppressum excitem, non tantum in prædicto casu emeticum porrigo; sed etiam illis suadeo in principiis febrium continuarum, qui nausea, ructibus, vomituritione, morfu cardiæ, vertigine tenebrosa, ore fordido, & amaro laborant, neque sine bono effectū istud facio & duce. Nam Lazarus *Riverius* p. 513. *Francos.* 1674. scribit: “Aliquando etiam in principio harum febrium *vomitus* provocandus est, cum videlicet ægrum nausea & vomitus urget: tunc enim natura per superiora materiam morbificam evacuare nititur, & Medicus illius motum adjuvare debet. Sæpeque accidit, ut magna materiæ copia in ventriculo & vicinis locis contineatur, quæ per vomitum quamprimum educenda est, cum nulla tam copiosæ & excrementitiæ materiæ coctio expectari queat; & quodcunque ingeritur in humorem consimilem immutetur, aut peccantem materiam augeat.” Hoc maxime observavi in gravidis, dum etenim istæ febre acuta corripiuntur cum nausea, vomitu & reliquis, emeticum cavens abortum ipsis non do.

Quod vero Venerandus *Hippocrates* in principio acutorum adeo emetica cavit, videtur esse ratio summa acrimonia & violentia *veratri*, quod unice ad emesin excitandam adhibuerat, noverat, prout pridem jam *Lazarus Riverius* p. 159. dictaverat: „Quod si forte Hippocratis & Galeni „temporibus minus usitatae fuerint hujus- „modi purgationes, in morborum principiis usurpatae; ideo factum certissimum „est, quod illis temporibus vehementia „tantum, acria, & maligna medicamenta propinari consueverant. Neque mitiora illa atque benigniora nostris temporibus familiarissima, illis nota erant, quae sine ulla fere molestia usurpari possunt. „ Præterea Illustrissimus L. B. van *Swieten* intimus Boerhavii & Hippocratis genius in principio acutorum dedit & approbavit emetica, ubi inflammationes topicæ & tumores aberant, ut videre est Tom. II. p. 133. usque 263. in tantum, ut p. 224. ediderit: “ubi vero vel tanta copia est corruptæ bilis, vel adeo intensa „jam ejus malignitas, ut his emendari nequeat, sed à quovis assumpto, quantumvis gratum etiam fuerit, augeatur „nau-

„nausea; nihil superest, quam ut vomito-
 „rio dato sursum expellatur, & p. 225.
 „ejusdem tomi: si vero signa docuerint,
 „lentam & viscidam materiam, in ventri-
 „culo aut vicinis locis fluctuantem, esse
 „nausæ causam, hæc pariter tollenda
 „erit.„ Numquid *Hippocrates* Lipyriæ
 „salutem posuit in unica cholera? Nonne
 Lycia sanata est veratro ex febre laborans
 cum dolore & magno liene? An Eury-
 nactis filia servata fuisset, si *botrus* in prin-
 cipio emetico excussus fuisset? Cleocho
 T. I. p. 851. præsentibus caloribus mani-
 festis veratrum exhibuit *Hippocrates*.

Venerandus *Hippocrates* de locis in ho-
 mine T. I. p. 395. de febre ex pituita nata
 ait: „Nam si quis homini vomenti aquam
 „multam bibendam dare velit, eluentur
 „ea, propter quæ vomit, una cum vo-
 „mitu. Et sic quidem vomitus per vomi-
 „tum sedatur.„ Idem Tom. II. p. 168.
 loquens de febre forte cum siti exaravit:
 „Si vero *bilis* aut *pituita* ad cor confede-
 „rit, aqua frigida, aut aqua mulsa pota
 „vomant.„ Tum Tomo I. p. 252. de fe-
 bre à repletionem disputans proponit: „Si

„curam celerem facere velit, *veratro* pur-
 „gandus est. „ Quod porro ulterius con-
 firmavit T. II. p. 169. de causo agens se-
 quentibus: „purgato autem quam celerri-
 „me pharmaco sive *sursum* sive deorsum
 „opus habere tibi visum fuerit „ Et
 quod plus est idem Hippocrates in Peri-
 pneumonia, Pleuritide, Phrenitide eme-
 tica propinare non exhorruit: „At Me-
 „dicamenta *sursum* educantia sexta & se-
 „ptima ac nona die, & morbo adhuc ul-
 „terius progressio, magis exhibeto. Sit
 „autem medicamentum veratrum album,
 „Thapsia, elaterium recens, singula æquis
 „portionibus. „

Hinc non est mirum, quod summus
 observator D. *Huxhamus* emetica lenia in
angina maligna, & peripneumonia maxi-
 mo cum effectu dederit T. II. p. 185. &
 T. III. p. 112. curiosus consulat, si dubi-
 tat. Non ergo frustra fatigant emetica in
 contagio variolarum natos, emetica non
 sunt ex therapeia febrium acutarum ex-
 trudenda; dedit etenim *Hippocrates* in
 principio acutorum emetica, quando *bilis*
 vel *pituita* gravabant præcordia, dedit
 etiam

etiam in peripneumonia, pleuritide, & causo, ipseque Expertissimus Medicorum agnovit, quod febres à repletione celerissime *veratro* curentur.

Convulsio, ad quam jam me converto, plerumque, ut Sydenhamus p. 80. 243. 502. docuit, diffitas & benignas præcessit variolas, studiosus scripsi plerumque; nam si convulsio nimis diu perseveravit licet in contagio, nullam evacuationem promovit, nimiaque fuerit, nihil bonitatis promittebat. Curiosus sæpius mecum pensitavi: quid tandem boni, & quomodo convulsio præstaret? Qua cogitatione occupatus subin curiosius examinavi servientes variolosis, tum ipsos variolosos rogavi, quid illis accidat, dum ipsos convulsio jactat? conspexi etiam lecticina infantum, neque gratis; nam deprehendi, quod plerisque spasmi majores scybala aliquando, & urinas ex vesica exprimant; exprimit convulsio variolas ad cutim, ut ad oculum observatur post quamlibet. Desii dein mirari & inquirere rationem præfagii, quod præbet convulsio in contagio, Convulsio contra in stadio suppu-

rationis vel desquamationis mala est signo & effectu ; quia non nascitur à Natura hostem extrudente , sed ab hoste arcem naturæ irritante obruente cerebrum.

III. *Numquid tenellis natorum corpusculis vesicantia admota plus prosunt, vel nocent?*

Horruit Baglivus p. 631. & sequentibus vesicantia nimium quantum, ego etiam, dum huc veni, non nisi trepidus eadem apposui, hic usus vesicantium penitus ignotus mihi caute introducendus erat; horrent quoque plures Medici cum vulgo crudelem operationem cantharidum, & si mihi audaciori effectum præmeditatum non obtineant absque omni misericordia obloquuntur homines.

Verum quidem est, quod hystericæ mulieres & viri hypochondriaci vesicante irritentur, & in pejora ruant: non tamen semper istud accidit. Probe enim recorder, quod Viro Religioso hypochondriaco in tantum, ut jam sine febre inceperit delirare tristis, unius palmæ Vesicatoria ad quamque suram apposuerim, vesicisque
ab-

ablatis eisdem locis renovata admoverim denuo, atque ita sanam mentem ipsi reddiderim.

Sed hic præcipua quæstio est: an tenellis natorum corpusculis sine piaculo vesicans admoveri possit; notum enim est infantes à minimis quibusque alterari & convelli: nutrix irata det ubera ducenda infanti, mox tenellus alterationes, tormina, convulsiones, icterum patitur, aliquando plane habet inde mortem spes unica familiæ.

Cuspide aciculæ tenera puella pungatur, quantæ non inde mutationes, & confusiones in sensili ejus systemate. Deformis vetula turvo suo vultu & horrido fixius conspiciat natum in cunis; subito ille alteratur, pallescit, ficcatur, tabescit: (hoc vulgus fascinationem vocat) ubera ducere recusat, quandoque & moritur. Quid ni *vesicans* acerrimum medicamentum totum systema irritabilissimum infantis turbabit, convellet & ad tartara vehet!

Ego ecquidem vesicantibus in hac epidemia usus non sum; quum opus crudeli

isto pharmaco non habuerim; cæterum in aliis morbis hoc heroico emplastro audacissimus jam utor etiam in infantibus 4. 5. 6. 8. 10. annorum sine ullo incommodo, nunquam inde horum aliquis convulsus fuit, imo vix ischuriam vel stranguriam passus: fatendum quidem est, quod his tenellis vesicans nunquam apposuerim, quin una media vel $\frac{1}{3}$. parte emplastri de Meliloto idem temperatum fuerit, quod vesicas nihilominus pollicis altitudine quandoque fat latas levabat: sed jam propero ad historiam, ex qua omnia hæc patebunt, narrandam.

Puer novennis ex pleuritide laborans VII. usque diem morbi à medicastis fus deque tractabatur; dederunt etenim ipsi sine venæ sectione ter emeticum fat forte præter alia contra indicata. De nato scrupulose examinatis adstantibus examinaui dein puerum ejusque pulsum, linguam, urinam & reliqua symptomata curiosius inspexi, unde deprehendi tussim siccam, inanem, pleuritidem anteriorem gravem, pulsum in inspiratione intermittentem, linguam siccam non tamen albam, verbo mor-

morbum inveni adhuc crudum; hinc sanguinis è vena brachii tunsa uncias VI. demi, qui spissus sine crusta inflammatoria erat, dein mane proximo ex religata vena uncias IV. adhuc laticis vitalis eodem modo constituti accepi: insuper omnia ex arte indicata applicui remedia; cum autem ne pilo morbus levabatur VIII. die ad vesperam vesicans imperialis numi magnitudine ad suram admovens in usu aliorum perexi.

Nono die semiturbidam urinam, biliosam, de depositione sedimenti ne cogitantem minxit; pulsus erat celerrimus, mollis, gracilis, in inspiratione intermittens; facies rubra, oculi truces, semi-aperti, mutus & tremulus festucas venabatur, projectis artubus inverecundus, mento & labiis pendulis jacuit, hæc omnia etiam X. morbi die durarunt, vesicans VIII. appositum tota nocte nihil adtraxit. Quapropter XI. morbi vel ad minus XIV. moriturum puerum sperabam; maxime ex eo quia medicamenta quæcunque oblata nihil profecerant, & ad ferum X. respiratio stertorosa, sudor capitis tantum viscidus & subfrigidus supervenerat; dixi igitur adstantibus, unum
adhuc

adhuc superesse remedium anceps quidem, nempe si admittitis vesicans mitigatum $\frac{1}{2}$. emplastri de meliloto, cujus diameter palmam romanam æquet, loco, quem sibi dolere olim querebatur, admovebo, in qua re, quum assensum plenum adstantes mihi præbuerint, jussi admoveri dictum vesicans loco prius aceto scillitico perfrieto, simulque prohibui, ne ullus ante meum adventum, qui proximo mane erat futurus, removeat emplastrum.

Noctu attrahente vesicam emplastro tantos clamores inarticulatos, jactationes puer fecerat, ut adstantes tota nocte ne oculum clauferint; unde anxii meum adventum præstolati sunt. Itaque in mea præsentia emplastrum remotum fuit, vesica pollicis altitudinem æquans discissa & serum subflavum exemptum fuit XII. mali; urina illico sedimentum album deposuit, febris remisit: pulsus apyretos, respiratio bona; appetitus, somnus accessit, præsens sibi erat licet mutus, qualis & mansit usque XVIII. morbi; XIII. morbi per alvum pus striis sanguineis distinctum ad aliquot cochlearia deposuit, judicatus perfecte vires successive recepit pristinas & XVIII. ab
initio

initio pleuritidis loquela sponte sibi redivit.

Anginam in quodam Religioso pictore 30. annorum synanchen venæ sectionibus tribus factis tantis, ut sub ultima in animi deliquium caderet, ne hilo minuere potui, quamvis omnia ex arte præscripserim nota, epispasticum collo toti circumposuerim ex fermento panis, farina seminum sinápios, sapone nigro & aceto scillitico factum; videns igitur, quod omnibus nihil proficiam, & angina jam jam in suppurationem tendat: vesicante tum integrum antérieur collum obvolvi, quo amoto post XII. horas vesica respondens latitudini emplastri ad pollicem alta, materiem spissam, tremulam instar gelatinæ flavescens continens nobis se stitit, & quod mirandum & imitandum angina sublata fuit.

Neque hoc absque Consilio Illustrissimi L. B. van Swieten feci Præceptoris mei, qui sicut omnia indefessa diligentia & acerrimo judicio ad quemlibet morbum ex veterum monumentis collegit, sua addidit; ita etiam *vesicatoria* suis locis proposuit, commendavit, & tom. III. Comment. p.

48. scripsit: "ubi autem post sanguinis eva-
 „ cuationem requisitam minutus fuit mul-
 „ tum febrilis impetus, nec in urina aut
 „ fæcibus alvinis putredinis signa apparent,
 „ tamen dolor manet, vel pulmo oppleri
 „ incipit, tunc videtur à *vesicatoriis* mul-
 „ tum boni posse expectari. Vidi in tali
 „ casu dolenti lateri applicatum fuisse vesi-
 „ catorium, quod & ipse aliquando feci,
 „ fausto cum eventu."

Ego sane contra plurimos morbos vesi-
 cantia adpono, quandoque & ipsis tenellis
 infantibus. Præterea vesicatoria *D. Mead*
 p. 46. infantibus variolosus admovit: "vesi-
 „ catorium nempe sub occipitio: & semi-
 „ vesicatoria, ex emplastro cephalico di-
 „ cto & vesicatorio pari portione commi-
 „ stis pedum plantis." & p. 36. verum ta-
 „ men præter hæc, die à prima eruptione
 „ V. vel VI. imponenda sunt, tum sub
 „ imam colli vertebram, tum brachiis &
 „ tibiis internis vesicatoria."

Quod ipsum confirmavit *D. Huxhamus*
 p. 132. sequentibus: "in tali autem casu
 „ id adhibendum atque vesicatoria ad con-
 „ tractilem vasorum vim quiescentem ex-
 „ ci-

„citandam applicanda esse, haud ignoro.”
Vide *Freind* p. 67.

IV. *Quanti nam momenti opium in variolis?*

Hæc epidemia in nullo stadio opiatis mitigabatur, imo crudelior ad hæc oblata recalcitrabat : ante eruptionem alioquin nulla dedi opiata, quum nec ratio suadeat, nec autoritas alliceat ; hinc eruptis quasi omnibus jam variolis primo propinavi *zvj* syrupi *diacodi* vespere & mane ; quia vero hæc dosis cum exiguo effectu dabatur, duplicavi eandem cum addito gr. $\frac{1}{2}$ extracti opii : veniens dein inveni puerum stupidum, semiapertis oculis jacentem, raro respirantem, salivæ subin quid demittentem in ventriculum ; pulsus erat rarior, vix febrilis, variolæ fere minores ; Natura igitur priore dosi parum juvabatur in suo labore, hac contra majore suppressa fui, fuique laboris oblita morbo bella nulla gessit, quin potius nepenthe debilitata, obtusa victam se dare voluit. Parentes dubitantes de vita prolis per omnia me rogarunt, istum feralem ne darem amplius syrupum, lubentius, dicebant, volumus ejulantem audire prolem ex crudelitate vario-

variolarum, quam moribundo adstare nato dilecto ex isto mortifero syrupo: hoc periculum in filio *Vincentio* cauponis ad album leonem feci. In aliis expertus sum laudanum liquidum, & varia opium continentia, ipsiusque extractum opii adhuc cum pejore effectū. Sapiētissime igitur ad rem *D. Lieutaud* p. 438. scribit: "Hy-
 „pnotica sane, humorum ferociam repri-
 „mendo doloribus occurrunt, somnum
 „accerfunt; sed morbum quodam vela-
 „mine obducunt, & producunt: delirium
 „præterea hisce remediis in furorem sæ-
 „pius vertitur; nedum compescatur; &
 „alvus comprimi solet." Opium sanguinem ad caput allicit; hinc vana gaudia, oblivio curarum brevis, hinc noxius sopor, non enim mitigatione irritantis somnus invitatur, sed oppressione cerebri inducitur; in nervos & cerebrum per plexum coronarium stomachicum agit, horum actionem sopit, spiritus nerveos sopit, & fors depravat.

An ergo ratio non dissuadet propinare opium variolosis, quorum sanguis aliunde lentescit, funditur in liquamen pus dictum;
 præ-

præcipue vero variolis lymphaticis videtur contrariari, in quibus ferme totus sanguis lymp̃ha est lenta & acris, quam utique opium augebit. An ergo fit coctio & emendatio humorum sub effectu opii, vel potius liquidorum deterioratio, corruptio & solidorum laxatio, præsertim dum majore dosi porriguntur? Ita effectus opii, quos sæpius in meis ægris curiosius consideravi, opinari nobis suadent. An igitur opium sicut *belladonna* generationem puris auget? An ægri *Sydenhami* methodo tractati variolosi id confirmant pustulas acu punctas toties pure plenas fistentes, replentes? Nonne *Phthysicis* præsertim illis, quos sudor nocturnus eliquat, opium præpostere datur?

Opiata, quod plus est, alvum, quæ semper libera debet servari, obstipant, salivationem minuunt, suffocationem parant, testis est hæc epidemia; sanguinem, quemadmodum Cl. B. *Trailles* sect. I. p. 87. demonstravit, copiosiore ad caput determinant; quid ni ergo & ad faciem, oculos ac aures; hinc *Sydenhamianis* hypopya, tumores magni faciei, suffocatio,

E

pri-

privatio lucis diuturna & alia plura. Profecto omnes, quantum scio, ex numero variolarum, & maxime illarum in facie periculum ægri conjecturant & recte quidem. Nonne etiam ex materie variolosa sanguini innatante, quam Medicus majoris facere debet ipsis pustulis, copiosiore ad caput, faciem per opiata determinata periculum majus justissime metiemur; sed dicent opii in variolis patroni cum D. *Huxhamo* T. II. p. 139. "nulla dantur remedia, quæ tam efficaciter humores tenues, acres inspissent; scilicet in crudis, ichorosis & coctione difficilibus variolis & profuso ptyalismo, eorum irritationem & defluxum avertant, & pustulis maturent, quam *opiate* convenienti ratione data. Profecto, quando copiosæ adfunt pustulæ sine eis parum efficere valemus, inprimis versus morbi statum, ubi istæ valde dolent. —"

Huic attentissimo tot annorum Observatori & Practico Expertissimo nihil repono præter meam observationem constantem in hac epidemia, quam supra descripsi: profecto ex veneratione maxima erga

Hux-

Huxhamum citata ejusdem verba semper in fronte gestavi, iisque plus quam meis credidi oculis, donec sæpius repetita experientia me redarguisset & ad aliam viam capeffendam coëgisset.

Pluris dein faciens ægrum quam Autorem mihi cæterum laudatissimum sequentem aliam inveni viam : emulsiones amygdalarum, seminum frigidorum majorum, papaveris, syrupum Diacodi, ficus, passulas & præsertim lac pauxillo *caffée* ditatum ad lubitum haurienda sumenda dedi infantibus, quæ, quod sancte asseverare possum, felices præstiterunt effectus. dolores mitigabant, salivam nimis tenuem inspissarunt, pustulas sat spisso & bono pure impleverunt : balnea insuper ex hydrogala pedum omni die bis applicui, quæ somnus saltem unius alteriusve horæ reficiens secutus est coctionem variolarum promovens.

Quid quæso lacte & emulsionibus magis inspissat humores, acrimoniam involnit, dolores lenit, coctionem pustularum promovet, somnum invitat? Infantibus præterea nil gratius nil convenientius esse po-

test, quum ex lacte hucusque plurimum vixerint, corpusculum suum totum inde habeant, cui si modicum coffeæ infusi addatur & sacchari, omnis pagina tum absoluta esse videtur. Nam infusum baccarum ustulatarum coffeæ cruditates ventriculi consumit, circulationem promovet, sudorem exprimendo, vel diuresin promovendo inspissat humores, quem potum in variolis crudis, lymphaticis D. *Huxhamus* p. 138. adprobavit his verbis: "Aut cyatho potus *Coffeæ*, cui interdum „parum lactis tenuis affundendum, de „glutiri possunt; quem potum *Coffeæ* per „totum variolarum decursum plures hau „sisse ægrotos sine ullo malo, immo cum „exoptato effectū cognovi; cum is evi „denter irritantem vexantemque tussim „acri ista tenuique destillatione excitatam, „compefcat."

Cyathis pluribus pro dosi & absque saccharo haustis per sæpe tertianas febres in me & aliis feliciter devici, quod in transitu, & in laudem *Coffeæ* sit dictum. Cl. D. *Mead*, ut ad opium me denuo convertam, licet opiata suadeat moderata manu

nu data p. 44. in exemplo illustri, prout vocat, sequentia nihilominus habet.
 "Die eruptionis IV. cum jam urgeret delirium, ad somnum inducendum fyrupi
 „è *meconio* drachmas VI. hausit æger; qui
 „tamen nil prorsus valebat."

Verum equidem est, quod ego, ut superius scripsi candide, mithridatii Damocratis ꝑ in mixtura unius vel II. unciarum intra diem consumendam ordinaverim pluribus bono cum effectu, sed hoc nullo modo pro opiatis pugnat; quia bonum istud cardiacum, cujus maxima pars est mel despumatum, in drachma semisse $\frac{1}{16}$ solum partem grani de opio continet; neque ad somnum conciliandum, dolorem mitigandum, quæ etiam nunquam præstitit, mithridatium dedi, solum ad febrim excitandam, vires augendas illud immiscui.

Nemo nullus spero ex fyrupo quoque *diacodi*, papaveris emulsionibus contra me argumentabitur, opio patrociniabitur, quæ nec narcotica, nec calida sunt pharmaca ut opium, minus adhuc septica, si tamen quis obgannet, remittam illum ad

p. II. Cl. B. *Trailles* Argumenti vexatissimi, & tacebit illa relecta. Si quis porro ad febrim secundariam amphimerinam, exacerbationes sopiendas præscribere continuat opium, nae ille media diē caligare vult.

Interim nemo velim credat me opio prorsus abstinuisse in descripta epidemia; adhibui etenim illud felix ad nimiam solutam alvum, ad profusam salivationem quandoque, hæmorrhagias sanguinis cohibendas cum reliquis, quæ Ars ad dictas evacuationes sistendas invenit: in quem finem drachma I. theriacæ andromachi, vel guttæ VIII. laudani liquidi Sydenhami suffecerunt.

V. *An liber alvus variolosis utilis? an fluens ex purgantibus datus aliquando necessaria?*

Qui in variolis emeticis & purgantibus recte uti novit, ille maximam partem possidet eorum, quæ ad felices curas variolarum requiruntur; aperta alvus currentibus his sua stadia non tantum excrementa, mucum, variam saburram, bilem è primis
viis

viis evacuat; verum etiam miasmatis, materiæ variolosæ, quæ sanguini innatat, ad salivales glandulas tendit, faciem tumefacit, febrim secundariam potissimum excitat, ad cavum fistulæ intestinalis alliciendo minuit. Quæ D. *Lieutaud* p. 438. cum maxime adprobavit. "Interea alvus „per totum morbi decursum servanda est „libera; præsertim si plus æquo tument „facies & cervix, sub quo statu oportune „adhibentur *serum* lactis, pruna damasce- „na, cassia, aliaque laxantia blandiora, „vel congrua injiciuntur enemata." In quam rem adhuc clarius D. *Mead* p. 50. sese explicuit, dum scripsit. "Usque adeo „morbo huic congruit quæcunque humo- „rum expurgatio; ut eam, si venenata „materia, quod in casibus fit gravioribus, „exsuperet, nunquam non moliatur Na- „tura. Hinc in adultis salivæ fluxus pri- „mis eruptionis diebus supervenit; infan- „tes vero, qui ægre aliquid exspuunt, „cita alvus per totum fere morbum exer- „cet. Utraque exinanitio hic magni „momenti est."

Cl. quoque D. *Simson* summa cum uti- litate blande aperit alvum toto

suppurationis tempore, quemadmodum
 Cl. B. *Trailles* sect. II. p. 137. excitat:
 „Atque prorsus laudabili studio summum
 „usum cathartorum docens Cl. *Simson*,
 „Sydenhamumque simul taxans toto sup-
 „purationis tempore usui anodynorum
 „unice intentum, pro tumore capitis ma-
 „nuumque sustentando, sed ad omnia pra-
 „va symptomata praëoccupanda parcius uti
 „consuevisse *opio* fatetur, & toto suppu-
 „rationis tempore *alvum* blande *apertam*
 „fervasse, optimo successu ait, nilque se
 „invenisse pro moderanda febre aptius:
 „quin non mirum esse dicit, tot ægros
 „perire, si alvus à principio ad finem sit
 „clausa, & Medicus de ea solvenda non
 „cogitaverit, sub perpetua *opii* adhibitio-
 „ne, idem confirmat ex *Salisbury lade*.

Sane in hac & 1771. epidemia, cujus
 historiam scribo, toto morbi tempore sol-
 licitus fui, alvus omni die ut respondeat,
 quæ si clausa mansit XXIV. horis eam illi-
 co conulo saponis vulgaris oleo olivarum
 illito, vel alio suppositorio, vel clysmate,
 quod melius, sollicitavi. Dum vero
 variolosus etiam ter de die alvum exone-
 ravit,

ravit, de eadem adstringenda ne cogitavi, si cætera æger se bene habuit, vires non decreſcebant; ſecus facile cohibui nimium profuſam. Ad ſalivæ fluxum minuendum purgans ordinario ſuffecerat: iſta methòdus cum lactis potu, & emulſionibus longe felicius ſomnum invitabat horarium, poſſumque ſancte aſſerere, quod optatum finem curationem obtinuerim hacce omnium, ad quos in principio citus fui excepta filiola aurifabri *Sedlmayer* inobediente mihi & parentibus, & plurium qui tardius meam opem implorarunt.

Verum eſt, quod ſaliva minus fluxerit; minus facies intumuerit meorum ægrorum etiam illorum, qui meras *purulentas* habuerunt variolas; omnes tamen cito & bene curati ſunt, nec mirandum; nam parum refert, exeat materies varioloſa per glandulas ſalivales, vel per meſentericas ac inteſtinales ad inteſtina pluat, & inde cum fæcibus excernatur, hoc unicum habent hi poſtremi adhuc commodi, quod ſuffocatione, ſputatione, tam diuturna palpebrarum clauſura &c. ſint liberi; dolores inſuper crudeles in hac epidemia

alvus aperta mitigabat ; erat ergo utilissima aperta alvus his variolis.

Neceffarium erat , ut ad initium *siccationis* me convertam, inchoante hacce subito propinare *purgans* lene, quod ter, quater, vel pluries intermisso semper uno alterove die repetivi ; atque hæc erat unica *salus* omnium natorum, quo neglecto remedio tristes, suspirantes tacite febrientes & delirantes cadebant victimæ XIV. XVII. XX. XXIV. die morbi: vide Johannis *Freind* epistolam de *purgantibus*, D. *Mead* p. 39. Hippocratis fragmentum de *purgantibus*.

VI. Quotuplex est contagium seu miasma variolosum ?

Per me licet, ducant Autores ab anno Christi nati 622: ex *Arabia* variolarum primam originem, vel ipsam cum Cl. *Freindio* in *Ægypto* quærant, ubi D. *Mead* etiam pestis erexit caminum, ut p. 16. de peste legi potest ; disputent alii, quibus meliora pectora finxerat Titan, de essentia seu principiis constitutivis *miasmatis* variolosi: Solum ego hic inquirere conabor,

bor, num diversa genera variolarum diversa sibi que semper propria habeant miasmata? id est, ut clarius me explicem: numquid miasma benignarum semper benignas producat & nunquam malignas pustulas generet? Ecquid lymphaticarum contagium diffitum sit à miasmate illo, quod verrucosas, aut sanguineas extrudit? aut potius unum idemque contagium, & ejusdem semper fortitudinis, naturæ, speciei, tam diversas species variolarum in diversis corporibus, ætatibus, regionibus, occasionibus, constitutionibus anni, consuetudinibus, victu, medellis procreat?

Quod posterius si demonstravero, haud leve, credo, momentum pro inoculatione, de qua mox, efficiam; nam, si unum tantum est contagium omnium variolarum, nunquam poterit inferere pus ex sua natura benignum malignas pustulas; verum tantum ob insufficientem attentionem feminatoris ad ea corporis, quæ id eo disponunt, ut in eo benignum miasma malignas protrudat pustulas, istud fiet. Quod sequentibus à *posteriore* ut ajunt, demonstrabo.

Cujus-

Cujusque fane epidemiæ Medici attenti Naturæ ministri malignitatis causam assignarunt, vel ad minus assignare potuerunt à constitutione anni, temperie corporis, diæta, ætate, morbis concurrentibus, medicamentis &c. petitas nimium quam probabiles, in quam rem optime scripsit D. *Mead*: “mirabitur forsân aliquis, quod
,, in his causis ipsam pestiferi feminis naturam non memoraverim. Præterquam
,, autem quod nullis modis hæc cognosci possit, ad varium morbi genus producendum haud magnum habere momentum videtur. Sæpissime enim in eadem
,, familia, ubi, tetra hac lue sæviente, alii ab aliis vi contagionis corripuntur,
,, his bene, illis vero male, rem cedere percipimus.

,, Temperamenta autem corporum tantum valent, ut quasi jure hæreditario ad
,, consanguineos descendant; unde morbi quidam familiares deprehenduntur, &
,, certis familiis exitiales.

,, Anni tempora alia aliis morbis opportuniora esse, ac febres, quæ per populum grassantur, inde oriri, illasque maxime,

„ xime , in quibus humor aliquis per cu-
 „ tim propellitur , horum varietates sen-
 „ tire quotidie experimur. „ Multo au-
 „ tem clarius super his Cl. *Huxhamus* dispu-
 „ tat : “ Aëris constitutio differens differen-
 „ tes effectus in sanis eoque magis in ægrotis
 „ & debilibus indeque etiam in morbis edit.
 „ — Aliam Atmosphæræ constitutionem
 „ progressum morborum epidemicorum ,
 „ speciatim variolarum promovere , aliam
 „ vero retardare , diu jam observatum est.
 „ — Pestis ipsa aëris mutatione à calido
 „ humidoque in frigidum & ficcum ple-
 „ rumque cohibetur. „ — Sydenham p.
 „ 216. quoque mecum dum vixit , sensit &
 „ Venerandus senex Hippocrates omnia hæc
 „ confirmavit Tomo I. p. 323. „ qualia ve-
 „ ro sunt tempora , tales etiam erunt mor-
 „ bi , & constitutiones ex ipsis. Si tem-
 „ pora tempestive , & ordinate se habue-
 „ rint , morbos judicatu faciles faciunt.
 „ Vernaculi autem temporum morbi indi-
 „ cant mutationes . & prout evariaverit
 „ tempus , similes aut dissimiles erunt mor-
 „ bi , qui in hoc tempore oriuntur. Si
 „ vero similiter procedat , ejusmodi quo-
 „ que fuerint morbi , & ad talem modum
 „ tra-

„tracti.,, Quæ omnia Caput 2^{dum} relegendi magis patebunt, ubi inveniet occasiones malignitatis variolarum harum in constitutione anni abundanter; nullam vero in Natura miasmatis, quod semper æquale idque benignum experimur.

Semina rerum immutabilia sunt, quamvis res natæ ex his varie laudant, quod optime Botanici norunt: Sumat exempli causa Botanicus ex una eademque capsula semina unius individuae plantæ, seminet quædam horum in solo pingui, quædam glareoso, sterili: alia transferat ad Alpes: alia udis committat; aliis torridum. frigidum aliis, vel etiam temperatum clima artificiale aut naturale conciliet: Stupebit hic tantas varietates ejusdem plantæ, ut ipsam ægre dignoscat; hinc proveniunt flores monstrosi, mutilati, eunuchi, multiplicati, pleni, castrati, proliferi, numero ludentes in omnibus ferme partibus fructificationis; hinc herbæ luxuriantes, fasciatae, plicatae, mutilatae, ex hirtis glabrae, ex aculeatis inermes, crispæ, odore, sapore, viribus à se ipsis dissitæ, à coloribus in infinitum variantes & recreantes

antes floristas, ut Tulipa, Adiantum, cum Hyacintho ad luxuriam usque continuat. Planta interim crevit ex eodem immutabili ex sua natura femine, tantummodo Clima, Solum, Regio, cultura, annus adeo diversa monstra procreant. Quidni idem accidit in variolis? Ita sane superius dicta docent, confirmant essentialia symptomata variolas per tot sæcula comitantia; Textus *Razzis* de variolis hodie adhuc iisdem conformis, cura prophylactica variolas benignas in epidemia vulgo maligna procurans, diversitas symptomatum in variis subjectis ex occasionebus vel temperamentis, ejusdem epidemiciæ mutatio prout temperies cœli variat.

VII. Ecquid causa inoculationis variolarum jam acta?

Quandoquidem millia millionum & sexagies mille millionum variolæ naturales hominum mactaverint, præsertim, si quis natos natorum, & qui nascentur ab illis, addat, in causas illarum inveniendas multum defudarunt alii, methodum alii eisdem medendi diu noctuque quæfiverunt;

runt ; alii sperabant *Antidotum* variolas in radice suffocans , prævertens , quale specificum celeberrimus *Boerhave* desiderabat , dum Aphoris 1391. 1392. exaravit :
 „ Quale inveniri posse , comparatio histo-
 „ riæ antidotorum , & indoles hujus mali ,
 „ faciunt sperare ; & ad indagandum im-
 „ pellit summa hinc futura humano generi
 „ utilitas. „

„ In Stibio & Mercurio , ad magnam
 „ penetrabilitatem arte deductis , nec ta-
 „ men salina acrimonia nimium corrosivis ,
 „ sed bene unitis , ut bene quæramus , in-
 „ citat aliquis horum aliquando successus. „

Hanc Boerhavii , quamvis eidem contrarius videatur p. 42. firmat Cl. D. *Mead* p. 59. sequentibus : “ Vidi olim multos
 „ in nosocomio , quos lue venerea con-
 „ taminatos , salivæ fluxu per mercurialia
 „ proritato perpurgare necesse fuerat ;
 „ cum , exhausto jam corpore , macie pe-
 „ ne conficerentur , in hanc tandem luem
 „ incidentes (variolas puta) omnes facilli-
 „ me salvos evasisse. „ Probat idem adhuc
 clarius exemplo p. 46. illustri , quod vocat.

Præ-

Præterea Cl. *Huxhamus* p. 126. ad mercurium experiundum inclinât, quibusdam sibi, ut ait notis, ductus exemplis; p. 154. purgantibus calomel addit. Infusio salivatio materiæ pustulas replenti, & puri ex iisdem fluenti, transpiranti, ut in hac epidemia toties expertus sum, æquivalens ad mercurium in hoc morbo ulterius tentandum nos allicit.

Si igitur quis sibi fideret non neglectis debitis evacuationibus incipiente febre contagii variolarum *panacœam* mercurialem infantibus tanta dare dosi, ut saliva- rent: an hic variolas in radice suffocaret, præverteret? Numquid primo stadio & reliquis exhibita moderata dosi aquila alba ex quibusvis malignis benignas efficeret pustulas? olim experiri non negligam.

Alii plurimi iique summi Viri artificia- libus variolis per inoculationem datis, postquam illustris Domina Maria *Worthley* Anno 1722. operationem insitionis ex Turcia in Angliam tulisset, à crudelitate

& funeribus naturalium præservare natos
fatagebant videntes, quod ex his

Mista senum ac juvenum densentur fu-
nera: nullum

Sæva caput Proserpina fugit.

Ego fane nil magis, quam rixas, fat
olim harum damna expertus, vito, fu-
gio, & si istud nequeo, saltem ex apri-
co rixantes tueor, præcipue tum, quan-
do plus scomatibus, dicteriis & injuriis,
quam argumentis Doctorum armis pugna-
tur. Non vellem præterea hoc opusculum,
quod unius Naturæ vox viva est, com-
maculare vexis, quæ nimium quam usuales
sunt inoculationis variolarum impugna-
toribus; eoque minus doctis rixis dimi-
candum arbitror, quo magis *Sapiens* Pro-
verb. XIX. V. XI. omnibus & singulis lit-
teratis easdem dissuasit. „Doctrina Viri
„per patientiam noscitur, & gloria ejus
„est iniqua prætergredi.,, exclamans.

Sola igitur argumenta, quæ pro inocu-
latione epidemia, de qua ago, mihi ex-
hibuit,

hibuit, hic proferam non sollicitus de impugnantorum argutiis sat superque ab aliis jam dilutis.

Quæ cum ita sint, ad enarrandas constantes observationes pro inoculatione in usum ducenda clamantes progredior: observavi itaque *primo* constanter, quod cum ætate malignitas variolarum creverit; namque nativitati propiores eo benigniores sustinuerunt, pustulas nati in tantum, ut paucissimi denati sint illorum, qui minus quam uno anno viderunt lucem, hocque erat immutabile huic epidemiæ, quodcunque stadium ejusdem sumere placet; quando nati majores in autumno benignæ habebant variolæ, pustiones minimi sub suo morbo, si morbus dicendus est, ridebant.

Alterum meo summo cum solatio toties, quoties purgans lene natis dedi ante, variolæ quam illos aggredierentur, vidi, quod nimirum hoc pharmacum prophylacticum, si non penitus benignæ & faciles, ad minus tolerabiliores exceperint

rint pustulæ. Novi profecto aliquos, quibus in domo quotidianus purgans mense Aprili, vel Majo, qui crudelissimas dabant variolas, in prophylaxin exhibui, absque omni auxilio Medici stadia variolarum cucurrisse prosperrimos.

Tertio : hæc epidemia licet crudelis & barbara innata quasi sibi prudentia sancte semper cavit illos, qui variolis jam pensum persolverant. Erant equidem homines, qui leviter mihi insinuabant secundas variolas suos natos nunc habere, hæc ego inaudiens stigmata variolarum olim habitatum curiosissimus quæsi, parentes ad juramentum legale cogebam, & stigma nullum inveni, parentesque præter expectationem meam sententiam suam una voce revocarunt. An plures illorum asserta revocarent, si ad juramentum nimium creduli subin Medici ipsos urgerent, de quibus narratiunculis vetularum oppugnatores tam verbose scribunt? Profecto id, quod fieri cupimus, accidisse dum audimus, proin credimus.

Non-

Nonne sapientissimus *Hippocrates* T. I. p. 66. molle carmen Cl. Trilleri contra inoculationem improbavit, dum scripsit? “si vero etiam vulgi gratia velis disserta-
 „tionem ad audiendum te facere non val-
 „de gloriose id captes. Non tamen cum
 „*martyrio poëtico*. Impotentiam enim in-
 „dustrii laboris ostendit., Illis infanti-
 bus fortuna, quibus purgans initio sic-
 cationis datum non fuit, erumpebant de-
 clinante desquamatione phymata rubra
 thermyntorum instar, quæ post XXIV.
 horas rupta fundebant materiem serosam,
 acrem, & hæc erant vulgo variolæ *re-*
currentes, donec hanc opinionem eidem
 exemissem istas *putatitias* variolas purgan-
 te tollendo, prævertendo, materie efflu-
 xum ex eisdem alvi fluxu supplendo.
 Numquid Medici optantes recursum va-
 riolarum putatitias tales variolas pro veris
 aliquando assumpserint? An non vario-
 las lymphaticas, quas Anno 1770. proles
 meæ mense Junio tales sustinuerunt ad
 itteram, quales Illustris de *Sauvages* in
 Nosologia T. I. p. 423. descripsit, pro
 secundis vel primis habuerunt?

Quatuor annis, quibus hanc regionem incolui, assiduus rogavi, sciscitatus sum quosquos incolas: an ipsis tale quid unquam accidisset, vel eorundem natis, verum præter spem uno ore reposuerunt, quod recidivas veras variolas nec in somniis sustinuerint, viderint nusquam.

Quarto oppugnatores ipsimet insitivæ methodi septimum quemlibet ex naturalibus variolis mori concedunt, quod ipsis non disputo, dum de benignis variolis calculus fit; nam in hac nostra epidemia vix septimus servatus est, & mensibus Aprili, Majo duo trientes ex viginti variolarum naturalium martyres occubuerunt; quin & mihi unum ex 20., quos initio morbi conveni, mors atra eripuit, quamvis forsan & has servassem, si emeticum in contagio eisdem ut aliis propinasssem, opioque abstinuissem, ut deinceps feci.

Quinto: qui felices evaserunt falcem harum variolarum, magnam plerique experti sunt crudelitatem dolorum & pericula

cula vitæ, præsertim vero illi, quibus fors misera consilium prudentis medici & solamen medicamentorum denegavit.

Sexto : Dum Autumnus ficcus temperatus effecisset benignas valde variolas, optimi parentes desiderabant, ut eorundem tenelli debitum tam benignis pustulis penderent deinceps liberi ab isto infelici tributo. Author his fui, ut suos liberos, quibus variolas optant, variolosis associant, vel, si hoc non sufficeret, aut non liberet, suasi, ut quærant indusium infantis quartum stadium variolarum currentis : natus nempe variolosus, cujus variolæ incipiunt ficcari indusium suum, quod pluribus diebus gestavit, exueret, daretque infanti inoculando ipse aliud perfumatum & calefactum assumpturus. Infantes, quibus talia indusia portanda parentes dederunt, post IV. V. VI. VIII. dies acceperunt variolas consimiles illorum, de quorum indusiis suas pustulas desideratas nacti sunt, neque ulli quid mali accidisse sancte assevero. Estne igitur inoculatio tanta *pestis*, quantam ejus

oppugnatores exclamarunt ? An oculistas
cis læsionem honestatis tot titulis pene
infamibus impugnatores insigniverunt,
quos innumeros Cl. *Trillerus* suæ canti-
lenæ Francof. 1766. intrusit ? Profecto
Cl. *Trillerus* suam potius naturam prodere,
quam inoculationem his impugnare vo-
luit. Anne hæc ponderosa Argumenta ?
Quasi non potuisset argumenta, si quæ
ex experientia propria habuit, nuda ocu-
listis enodanda proponere : oportuit sane
ex experimentis prius habuisse contra ino-
culationem rationes plures, dein primo
eandem odivisse.

Ego neminem imitari detrecto nec
rhizotomos ipsos, dummodo ratio inven-
ta imitanda suadeat, & experientia confir-
met ; verum etiam in nullius nimis cre-
dulus verba juro, sed semper majoris
ægrum, quam autorem facio. Si nihilo-
minus

minus quis mente sedata fequentes rationes cum observationibus nuperrime scriptis expendere vellet, haud poterit adeo cruentam macellam generis humani infitionem variolarum credere, prout oppugnatores scribunt, horrent.

In Turcia, Anglia, Helvetia, aliisque Regionibus, quas semel Nobile inventum *Inoculatio* variolarum intravit, intrepidi suos natos pergunt inoculare; quamvis apud nos zelo quasi innato oppugnatores infitionem criminantur, & mille argutiis eidem accessum ad nos cavent, qui argumentis suis non fidentes infideles, deceptores, sublestos, impostores, insensatos, fordidos lucripetas feminatores variolarum clamant, fide indignos tyronibus toties repetunt: durus profecto sermo! an tamen *Hippocraticus*? Modestissimus senex *Hippocrates* Tomo I. p. 61. notavit.

“Fallax enim est ad errorem proclivis affirmatio, quæ fit cum garrulitate., Mira fane res oppugnatores, qui nunquam inocularunt, vel summum seinel idque manibus invitis processum adornarunt, se demonstrasse inoculationis summam barbariem contendunt, à nobis fidem petunt, & tot summi viri oculistæ tota vita seminando variolas necdum experimentis malignitatem inoculationis deprehenderunt, de quorum fide qui dubitat, fidem fane ipsemet amittit.

Inclytus audio senatus *Haganus* inoculationem lege proscripsit : & quid inde inferam? accidit hoc idem & aliis quandoque inventis, quæ confusi dein senatores lubenter revocarunt, senatus prudentes in rebus medico-legalibus, faciunt id, quod Medici volunt, proponunt, ut quotidie ab Inclyto senatu Igla-
vien-

vienſi experior : non ergo ſenatus Haga-
nus , ſed Medici Hagani inoculationem
nigris valvis appenderunt.

Miaſma porro ſeu ſemen variolarum
naturalium & artificialium idem ipſiſſimum
eſt, & de eodem fonte hauſtum ex ſua
natura ſemper benignum & immutabile
ut ſuperius evici. Quomodo igitur arti-
ficiales pejores naturalibus eſſe poſſunt,
immo ſemper benigniores induſtrias expe-
riri poſſunt nati; quum occaſiones , quæ
variolas crudeles reddunt, facilius in his
præcaveri queant.

Si quis præterea phyſiologicæ confide-
rare vult modum, & locum, quo natura
ſeu atmophæra pure varioloſo gravida in-
oculat variolas , & operationem , qua
oculiſtæ in ſeminatione puſtularum utun-
tur,

tur, perpendere, pro inoculatione, ni fallor, stabit.

Natura, quemadmodum symptomata docent, ventriculi lateribus per salivam & halitum oris in eundem pluentia varicellas inoculat; ars contra vulnuscule exiguo facto in brachio vel fura ibi, ubi fonticulos excitare solemus, guttam puris variolosi indit, linteis carptis tegitur plaga & emplastris. An jam melius est venenum infeminatum ventriculi lateribus, vel furis? qui physiologiam novit, pronus horum posterius affirmabit.

Nam multo facilius est vulnuscule tibie curare, quam affectus ventriculi, qui æternum fœdus cum cerebro pepigit; hinc si unum ex his dolet, condolet & aliud viscus. Sed urgent oppugnatores, & dicunt, nos habemus plura exempla,

pla, quibus ad minus æque malignas artificiales ac naturales, si non maligniores, evincimus variolas. Videntur profecto oppugnatores plura infortunata exempla artificialium pustularum habere, sed quid putas unde? An ex propria experientia? minime istud; sed ex oculistis exempla infelicia collegerunt, qui more *Hippocratis* candidissimi sua infortunia typis dederunt, simulque mala enumerarunt, vide *Meadium* p. 71. quæ industrias comitantur variolas.

Miranda res! exempla inoculistarum inoculistas, qui coram aderant infortuniis suis, sinceros experimentatores non poterant eo adducere, ut ab inoculatione apostataissent, & tamen impugnatoribus multis leucis dissitis horrorem incutiunt successus infausi insitivæ methodi.

Non-

Nonne paulo ante impostores, & sub-
lestæ fidei oculistas oppugnatores pro-
nunciarunt? qui ergo ex eorundem scri-
ptis inoculationem impugnare volunt,
utique sublestæ fidei sunt? en laby-
rinthum inextricabilem!



